

aliud est ex peritia artis, aliud ex iudicio acri, aliud ex diligentia. Differentia autem cognoscendi sunt multorum aut paucorum exactæ, uel non exactæ, securæ aut dubiæ, atq; horum omnium causa est magnitudo proportionis, aut in origine ad significandū, aut in anima ad intelligēdum. Atq; originis, ut dixi, multiplex est ratio, scilicet modi uel causæ uel efficaciæ, cùm uero hæc omnia in unum conuenerint, certissima & exactissima fiet diuinatio, cum pauca & minus ualida, ut pote discursus & iudicium dubia, debilis & paucorum. Quæ uero nugantur Porphyrius & Iamblicus de his, omnino fabulis similia sunt, uideturq; Iamblicus Porphyrio indixisse bellum, sed cùm ignauo hoste, ipse longe deterior.

Propositio ducentesima uigesimali nona.

Incorporea omnia unum sunt, neq; numerus est eorum.

Videbitur ab initio paradoxum, sed ubi & modum & demon^{str}ationem ipsam deprehenderis, intelliges ita esse iuxta luminis naturalis rationem, tum uero maximè, cum id adiecero non prohibere me, quin ut partes in homine numerentur. Sed aliud est partes in homine dinumerare, quæ numero ipso non distinguuntur, sed si plures homines seorsum de earum numero interroges singuli diversa, nec exiguo interuallo differentia respondebunt, sed unus decem puta, alius centum, alius innumerabiles pronunciabit. Quin etiam quisq; qua ratione uelis illas distinguere interrogabit, at non sic de numero gregis pauidum, aut de pecunijs, in quibus nemo ab altero dissentiet, nisi cum in numerando errorem admiserit. Igitur dico non esse numerum in incorporeis, nam finitus erit uel infinitus; si infinitus, numerus non erit, quoniam primum nullus Deus erit nulla prima substantia: nam quomodo Deus erit aut Dominus infinitorum, aut primus ubi non est ultimum? Sed neq; numerus aliquis certus earum esse potest, cum primum non magis hic quam ille: neq; enim definiuntur ullo termino, seu centum, seu milie aut millies mille: nec cum subiectantur quantitatí continuæ poterunt subiecti numero, uel alteri cuiquam accidenti. Sed omnia sunt unum, ita tamen quod perfectius est atq; imperfectius diffusum ab ipso infinito, cuius in extremo cohærent mentes nostræ & animæ, & cœlum, quæ communicatæ inferioribus atque corporibus illa agunt, mutant & seruant. Ipsum quam ultimum esse, est in mundo, quod est corpus, & eius pars præcipua cœlum deinde reliqua. Omniaq; mouentur & transferuntur immobili primo principio, quod cum illis coniunctū est: nam reliqua incorporea ab ipso profluunt. Est & ratio Aristotelis in tertio decimo Theologicorum sermonum, Deus non est unus numeri ratione, sed ita ut non sit plura,
igitur

^{sup. §.}